Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



dicauit. Cui enim dicit aliquando angelorum filium meum es tu. ego hodie genui te. et
rursum. ego ero illi in patrem. et ipse erit mihi in filium. Et cum iterum in
troducit primogenitum in orbem terrae dicit. Et adorent eum omnes angeli dei. Et
ad angelos quidem dicit. qui facit angelos suos spiritus. et ministros suos flammam ignis. ad fi
lium autem. Thronus tuus deus in saeculum saeculi. virga aequitatis virga regni tui. Diligis iustitiam. et odisti iniquitatem. propter
hoc unxit te deus deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis. Et tu in principio
domine terram fundasti. et opera manuum tuarum sunt caeli. ipsi peribunt. tu autem permanebis. et omnes sicut uestimentum
uetabunt. et sicut amictum mutabis eos. et mutabuntur. tu autem idem es. et anni tui non deficient.
Ad quem autem angelorum dixit aliquando. sede a dextris meis. quadusque ponam inimicos tuos
scabellum pedum tuorum. Nonne omnes sunt administratorii spiritus in ministe
rium missi. propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Propterea ha
bundantius oportet obseruare nos ea quae audiuimus. ne forte praeter
effluamus. Si enim quae per angelos dicta est sermo factus est firmus. et omnis prae
uaricatio et inobedientia accepit iustam mercedis retributionem.
quomodo nos effugiemus si tantam neglexerimus salutem. Quae cum initium ac
cepisset enarrari per dominum abeis qui audierunt in nos confirmata est.
testante deo signis. et portentis. et uariis uirtutibus. et spiritus sancti dis
tributionibus secundum suam uoluntatem. Non enim angelis dominatus sub
iecit orbem terrae futurum de quo loquimur. Testatur autem in quodam loco dicens.
Quid est homo quod memor es eius. aut filius hominis quoniam inuisitas eum. Minuisti eum paulo ab angelis.
gloria et honore coronasti eum. et constituisti eum super opera manuum tuarum. omnia subiecisti sub
pedibus eius. In eo enim quod ei omnia subiecit. nihil dimisit non subiectum ei. Nunc autem nondum uidemus omnia
subiecta ei. Sed autem quod modico quam angelis minoratus est uidemus iesum
propter passionem mortis gloria et honore coronatum. ut gratia dei pro
omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum propter quem omnia. et per quem omnia
quem multos filios in gloriam adducere. auctorem salutis eorum per mortem
consummare. Qui enim sanctificat. et qui sanctificantur ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos uocare dicens. Nunciabo nomen tuum fratribus meis. in medio ecclesiae laudabo te. Et iterum. Ecce ego et pueri mei quos mihi dedit deus. Quia ergo pueri communicauerunt
carni et sanguini. et ipse similiter participauit eisdem. ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. id est diabolum. et liba
rret eos qui timore mortis per totam uitam obnoxii erant seruitutis.
nusquam enim angelos apprehendit. sed semen abrahae apprehendit. unde de